VITA

B. BONFILII EPISCOPI, ET CONFESSORIS.

A SANCTO SILVESTRO Siluestrinae Congregationis fundatore olim conscripta.

ET NVNC EX VETVSTISSIMIS deprompta monumentis quae Fabriani in Monachorum Siluestrinorum Bibliotheca asseruantur.

CAMERINI,
Apud Franciscum Ioiosum. 1613.

De licentia DD. Superiorum.

SENATVI,

Atque

POPVLO AVXIMANO

D. IACOBVS MERCATVS Siluestrinae Congregationis Procurator Generalis felicitatem.

QVAM vobis honeſtisſimi viri Beati Bonfilij Epiſcopi Fulginatis Auximanique ciuis offero vitam, eam à Sancto Siluestro noſtri ordinis auctore, conſcriptam fuiſſe conſtat ex vetuſtisſimis manuſcriptis codicibus, qui Fabriani in Bibliotheca Sancti Benedicti adhuc aſſeruantur. eamdem autem eadem ſeruata phraſi, nulloque prorſus mutato verbo typis excudendam curaui, tum propter ſcriptoris dignitatem, ac ſanctitatem tum propter Auximanae Ciuitatis vtilitatem. Si enim praua verba bonis moribus interitum afferunt, vt merito Apoſtolus dixerit ὅτι φθείρουσιν ἤθη χρῆσθ' ὁμιλίαι κακαί, honeſta bonos cōponāt mores neceſſe eſt, & eo magis nos excitēt ad pietatem, ſi ab ore ſanctorum virorum prolata eſſe nouerimus: vobis verò ita editam gratiorem fore putaui, quam ſi alijs verbis fuiſſet ex-

amorē, quo iure optimo ſanctum Siluestrum parētem noſtrū proſequor eius mihi verba ita ſunt dulcia; vt cum illis Ciceroniana ipſa collata minus iucunda eſſe videātur. *καθ' ἑκάστην γὰρ ἕξιν, ἴδιά ἐστι καὶ καλὰ καὶ ἡδέα.* Idem vobis euenturum, vt putem facit *συμπάθεια*, quam natura inſeruit in oriundis ab eadem Patria: ciuis enim veſter eſt qui vitam hanc ſcripſit. Libenti ergo animo accipite hoc munuſculum, neque vobis illud tantum legere ſatis eſſe exiſtimetis: ſed date diligenter operam, ne vos in viro ſanctisſimo colendo ſuperet Cingulanus populus, apud quem ita B. Bonfilius colitur, vt eum iam diu patronum ſibi delegerint: demum neruos omnes contendite, vt quoad eius fieri posſit veſtrum beatum ciuem imitatione exprimatis. Valete. Romae IV. Nonas Ianuarij. M DC XIII.

IACOBVS MERCATVS MONACHVS SILVESTRINVS.

FEREBATVR quidem nostrorum Monachorum manibus haec B. Bonfily uita: nec tamen eorum quisquam nouerat, qui eam scripsisset: cum ecce tibi ad manus meas antiquissimum peruenit exemplum, in quo Scholion erat patefaciens scriptorem fuisse S. Siluestrum parentem nostrum. id quod cum Monachi rescissent, incredibilem omnes ceperunt uoluptatem: laetabantur, gaudio exultabant, osculabantur codicem, sexcenties maiori semper cum laetitia lectionem aureoli sanctissimi Patris opusculi repetebant. Deinde cum sperarent libellum gratissimum tibi fore, coeperunt de eo edendo mecum agere: quorum ego precibus uictus facere non potui, quin eis morem gererem: eo magis quia Illustrissimus Cardinalis Bellarminus doctissimus ac disertissimus sane uir, cui hanc uitam dedi legendam eam summopere commẽdauit; quippe qui mihi affirmarit ita huiusce monumenti stilum sanctitatem redolere, ut clarissime constet non nisi à sanctissimo uiro id profectum fuisse. Huc accedit quod non ignoro me rem gratam omnino facturum Illustrissimo Cardinali Gallo cum ab altero horum duorum sanctorum genus Paternum, ab altero maternum ducat. Porro non sum nescius à te multa posse in hac historia desiderari

quae

quae merito , ut ostendam aliquando à scriptore sunt omissa. Quaeres enim fortasse quaenam esset religiosa illa familia, quam ingressus ac professus est Beatus Bonfilius: utrum adhuc extet monumentum aliquod coenobij Sanctae Mariae de Storaco, ubi uir ille beatus religiosae uitae tyrocinium fecerit & aliquandiu uixerit: quaenam fuerit in Dioecesi Fulginate Ecclesia illa, quae hic obedientialis dicitur & ad cuius regimen missus fuit Beatus Bonfilius cumq. fuerit hic sanctus uir designatus Episcopus Ecclesiae Fulgenatis, scire cupies suo quonam summo Pontifice id contigerit, & utrum ulla eius extet memoria in catalogo Episcoporum Fulginatum; ac demum alia multa posses inquirere, quibus omnibus explicandis, tibi polliceor me quam primum operam esse daturum. Interim dum uberrima Scholia parantur, quibus non pauci huius uitae loci illustrabuntur, huiusce opusculi lectione fruere. Neque de historiae scriptore queraris quod mentionem praecipuae minime fecerit temporis, quo uixerit B. Bonfilius. nam praeterquam quod possum dicere id illi commune fuisse cum Thucydide clarissimo historiographo, qui in describendis euentibus belli Peloponessiaci nunquam meminit temporis, quo acciderint, sed satis illi fuit dicere aliquid hyemi, uel aestate contigisse: licet etiam mihi respondere id minime fuisse à S. Siluestro praetermissum. cùm enim asserat Beatum Bonfilium fuisse cruce signatum, atque interfuisse expeditioni Terrae Sanctae, inde euidenter colligitur floruisse anno post Christum natum 1098. uel circiter. Sed de his atque alijs fusius in scholijs nostris quae (Deo fa-

uente

uente cito prodibunt. Et quo melius è tenebris tantae uetuſtatis ueritatem eruamus in lucem, tuum erit benigne Lector D. O. M. pro nobis rogare: quod ut facias abs te etiam atque etiam peto. Vale.

FACVLTAS REVERENDISSIMI PATRIS D. Iulij Raynaldi Fabrianenſis S. Theologiae Magiſtri, & totius Silueſtrinae Congregationis Prioris Generalis.

EGO D. Iulius Raynaldus totius Silueſtrinae Congregationis ſub Regula Sancti Benedicti Prior Generalis facultatem concedo, vt per D. Iacobum Mercatum in Romana Curia Procuratorem generalem Typographorum opera in lucem emittatur Vita Beati Bonfilij à Sancto Silueſtro conſcripta. In cuius rei fidem has litteras fieri iuſſimus, manu noſtra ſubſcripſimus, ſigilloq. noſtro muniendas curauimus. Romae in noſtro Monaſterio Sancti Stephani ſupra Caccum die III. Menſis Ianuarii M DC XIII.

Idem Iulius Raynaldus Generalis qui ſupra manu propria.

INCIPIT PROLOGVS IN HISTORIA DE VITA BEATI *BONFILII EPISCOPI,* ET CONFESSORIS.

CVNCTORVM te amantium, ò mundana vanitas, crudeliſſima inimica, tibique incumbentium doloſiſſima ſupplantatrix, aduerſus te obnixe conquerimur, innumeraſque contra te voces plenas emittimus querelarum, quae non ſolum ſeculares viros, vtpote Legiſtas, alioſque ſcientijs inſtructos liberalium facultatum, tuis virulentis blanditijs ſeducens, tibi cogis partim vanarum laudum deſiderio, partim munerum interuentu, in foro ſecularium iudiciorum longis diſputationibus quotidie, diſertiſque loquacitatibus militare; verum etiam clericorum, qui ad vacãdum his quae Dei ſunt aſſumuntur, nonnullos eruditos peritia plurium facultatum, eiſdem captioſis illecebris irretiens, importune impellis iugiter ſecularium poteſtatum palatia irrumpere, iudicia frequentare, iurgijs, & litibus inſiſtere, praeſtare viris patrocinia, & frequenter cauſas iniquas, impudenter, & contra conſcientiam longiſſimis

declamationibus defenſare (proh dolor) talia perpetrãtes, talẽta ſcientiarum ſibi à Domino traditarum ad damnationis ſuae cumulum in terra fodientes, abſcondere non verentur. Verè ventoſa vanitas, & vaniſſimo fumo ſimilis, poſt modicum velociter in nihilum diſſoluenda. Horum vtrique tibi facundiſſimi, Deo muti, abſtracti, & illecti tua dulcedine venenata, elata mente de ſua ſtulta ſapientia inaniter gloriantur, & non modo ſuperbiae cornua extollunt nimis, verum etiam feriunt, & opprimunt innocentes; quos ad te miſerabiliter cõuerſos, niſi reſipuerint, poenitentiam peracturi, vacuos, nudos, & nihil ſecum praeter peccata portantes, de praeſenti ſeculo nequam exeuntes, ad inferni tormenta tranſmittis, gehennae incendijs per infinita ſecula cruciandos. Quòd igitur capti mundi huius ſapiẽtia, quae ſtultitia eſt apud Deum, & ſapientia carnis, quae etiam ipſa inimica eſt Deo, ſecundum Apoſtolum, ſeducantur, nemo eorum ſaltem euigilare cernitur ad ſcribendum aliquid ſuae ſaluti meritorium, Deo placidum, atque vtile ad memoriam poſterorum. Ecce enim nunc multorum annorum curricula euoluuntur quibus omnipotentis Dei famulus Beatus Bonfilius de praeſenti ſeculo noſcitur emigraſſe, &

nemo

nemo ex praedictis stolidis sapientibus est inuentus, qui religiosi pontificis religiosos mores, quibus eius vitae sanctitas rectè cognosceretur, curauerit vtilibus cedulis annotare, & ea piè relinquere in Archiuio sanctae Ecclesiae vtiliter conseruanda ad aedificationẽ, & memoriam posterorum? Nobis autem, qui nostrorum pungimur conscientia delictorum, tutius videbatur in angusto cellae angulo residere, & mala propria diluere fontibus lachrimarum quàm praeclara gesta sancti cuiusquã imperitis sermonibus offuscare. Verum quoniam hoc opus est à longis retro temporibus praetermissum, atq. ante nos hactenus indiscussum, ad scribendum accedere cogimur duplici ratione: tum quia de multitudine aduenientium ad tumulum sancti huius plurimi frequẽter exigunt, si scripta de eo aliqua alicubi habeantur, tum etiam ne religiosa vita eius, & mores penitus de hominum memoria tollerẽtur. Caeterum quia secundum propheticum verbum, In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia: & Domino praecipiente in lege: Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi: longaeuos senes ferme vltra centenariam aetatem agentes inquirere curauimus diligenter de vi-

ta, & moribus sancti viri, qui nostrae paruitati fideliter exinde retulerunt ea, quae à suis maioribus se meminerant didicisse. Nos autem ipsorum antiquorum relationibus fidem non dubiam adhibentes, iuxta Prophetam, Quod auribus nostris audiuimus, & patres nostri annunciauerunt nobis de supradicto Sancto scribimus incunctanter. Miracula si qua sanè per eum in carne mortali degentem sunt diuinitus perpetrata, non scribimus, pro eo quod ad nostri notitiam minime peruenerunt: siue quia ipse Sanctus, vt moris est Sanctorum, haec studuit ob diligentissimam suae magnae humilitatis custodiam modis omnibus occultare, siue quia de labili mortalium memoria, vt fieri assolet, facillimè deciderunt: Quae vero post eius decessum per eum Dominus gessit, ex parte aliqua documentis tradidimus litterarum. Nā haec sunt, quae sanctitatem eius eximiam, & merita gloriosa certiora reddunt, & probabilius clariora: si quis autem curiosus scire cupierit vniuersa, quae per eum diuinitus mirabiliter perpetrantur, ad tumulum eius accedens oculata fide ibidem poterit plenius edoceri, quam crebro sanitatum, & curationum benificia languentibus quibuslibet diuina clementia non desinat elargiri. Nomen vero nostrae

paruitatis

paruitatis cōscribi in libro vitae diuinitus cupientes huic operi, qui scribimus, idcirco non duximus inserendum, ne contra nos irritaremus inuidentiam aemulorum, qui sicut serpentes linguas maledicas acuentes, maledictorum suorum in nos intorquerent iacula venenata, ipsi primo animas suas ex hoc laethali vulnere saucientes. Ad haec autem omnipotentis Dei auxilium inuocamus, vt qui Beato Bonfilio Pontifici, & Confessori suo piè, sancteque viuendi gratiam contulit, nostrae imperitiae recte scribendi de eo tribuat facultatem. Lectorem huius operis flagitantes, quatenus si quid in eo inuenerit minus idoneè, minusue sufficienter positum, tanto nobis faciliùs ignoscat: quanto ex longo iam tempore à nobis est dictandi studium praetermissum: & quae legerit ob reuerentiam Sancti huius libenti animo piae voluntatis deuoto studio amplectatur: Nunc autem ea, quae de ipso scribere disposuimus, eius opitulantibus meritis, largiente Domino inchoemus.

INCIPIT HISTORIA EIVSDEM BEATI BONFILII Episcopi, & Confessoris.

BEATVS Igitur Bonfilius fuit ex Auximo parentibus nobilibus carne, sed spiritu nobilioribus, vtpote catholicis fide, & Deum timentibus oriundus. Quem erga Deum timorati parentes, dum baptismatis perciperet sacramentum, nominari Bonfilium, hoc est bonum filium, mandauerunt: quod nomen praesagium fuit futurae bonitatis eius, quam sortiturus erat per gratiam concessae redemptionis, & bonorum operum exercitia, vnde mereretur appellari bonus filius, & inter Dei filios numerari, sicut operibus postmodum claruit euidenter, qui infantiles annos simpliciter domi decurrens cum ad pueritiam peruenisset, in ea positus, coepit omnipotenti Deo deuotus existere, atque eandem aetatem pijs moribus trãsiens iuxta modum intelligentiae sibi à Deo indultae, ad appetenda coelestia iugiter anhelabat; cuius deuoti Deo parentes cum deuotum eius animum cognouissent, coeperunt ei gratanter concurrere, atque felicibus eius actibus

congaudentes,

congaudentes, ſicut eum carne genuerant, ſic eumdem habere filium in ſpiritu cupiebant.

ERAT autem tunc temporis in ipſa Dioeceſi Auximana Monaſterium, quod ſancta Maria de Storaço dicebatur, de quo vſq. ad haec tempora reliquiae aliquae demonſtrantur, cuius Abbas, & Monachi religioſam vitam agere ferebantur, quod religioſus, & pius Puer Bonfilius intelligens, ardenter deſiderat eorum conſortio copulari, ſuumq. deſiderium ſuper hoc parentibus patefacit, atq. inſtanter ab eis petit, quod hoc procurent ducere ad effectum, ipſi verò petitionibus Deo deuoti pueri annuentes, eum ſecum ad memoratum Monaſterium perducunt: Abbatem, & Monachos alloquuntur, Bonfilij pueri animum, moreſq. inſinuant, humiliter deprecãtes, quatenus eum in monaſterium ſuſcipere dignentur, in omnipotentis Dei obſequio nutriendum. Abbas ergo, & Monachi inſimul conſilio habito, ſæpe dictum puerum ſuſcipere decernentes, monent parentes de oblatione pueri ſolemniter faciẽda; quam monitionem parẽtes libenti animo ſuſcipientes, ipſum puerum ſecum ad monaſterij oratorium perducunt, ibique coram altari praeſentibus Abbate, & Monachis omnipo-

tenti Domino obtulerunt in eius reuerenter ſeruitio permanſurum: à dictis Abbate, & Monachis magnopere poſtulantes, vt eumdem puerum inſtrui faciant in documentis, & exercitiis litterarum: quibus peractis parentes eius ibidem ſub tutela coeleſtis Patris relinquẽtes puerum ad propria redierunt.

SVSCEPTVM autem puerum Abbas, & Monachi erudire coeperunt in ſcientia litterarum regularibus diſciplinis nihilominus inſtruentes, quem etiam ſpiritus Domini ſecundum Apoſtoli Ioannis ſententiam ſua vnctione de omnibus edocebat. Vnde puer ipſe proficiebat in omnibus vnctione praeuia, & magiſtra: quem etiam Abbas, ipſo tamen ſupplicante, tempore probationis impleto, Monachum facit, profeſſione accepta ſecundum formam Regulae, ſanctæ Religionis cum habitum induendo. Tranſcendens autem Bonfilius rudimenta puerilis aetatis, coepit eſſe bonae indolis adoleſcens, & creſcens corporali forma, creſcebat in dies de virtutibus in virtutes; & cum in monaſterio eſſet vltimus omnium tempore, ſanctarum ſcripturaram intelligentia omnes, & ſanctis moribus praecedebat: erat namq. ſecundum Regulae praecepta Domi-

nnm

num Deum super omnia diligens, humilitate fundatus, paratus ad obedientiam sine mora, castitate nitidus, benignitate mansuetus, contemptor sui, fratrum amator, semetipsum subijciens omnibus, sibi omnes tamquam dominos praeferebat, & virtutum omnium floribus ornabatur: quem Abbas, & fratres talem esse perspicientes, communi consilio decernunt dignum promoueri ad ordines clericatus, ad quos gradatim eumdem ascendere faciunt tẽporibus constitutis, vsq. dum in Praesbiterum ordinatur· postquam autem fuit Praesbiter ordinatus, carnem suam ieiunijs macerabat, nocturnis vigilijs, & orationibus canonicas horas praeueniens insistebat, psalmodijs, & lectionibus sanctis frequenter, & sollicitus intendebat, semetipsum exercens in cunctis operibus pietatis.

PRAETEREA quaedam obediẽtialis Ecclesia erat ipsi monasterio in Dioecesi Fulginate, ad cuius regimen Abbas, & fratres de communi consilio transmittendum Bonfilium decreuerunt. Bonfilius itaq. obedientiae necessitate compulsus, ab Abbate benedictione petita, & accepta, ad locum accedit, & regimẽ Ecclesiae suscipit memoratae; & licet locum

mutauerit,

mutauerit, pium tamen animum, & pia opera non mutauit; imo cum ſemetipſum inſpiceret curae praefectum animarum, magis, ac magis ſtudebat, ne ſuperiori loco cui praeeſſe videbatur, inferior haberetur; & quia lucerna iam ſuper candelabrum poni coeperat ardens, & lucens, non poterat occultari, ſed radios ſuos non ſolum ad propinquos, verum etiam ad lōgè poſitos praetendebat. nam bonitatis eius fama laudabiliter longè, lateq. diſcurrens, veram ipſius Religionem omnibus declarabat, ad intuendum eum ſimul, & audiendum plurimi properabant, cupientes eius notitia perfrui, pariterq. amicitiae copulari, quibus vir Domini monita ſalutis praebens, de diuinarum ſcripturarum fontibus doctrinae fluenta largiter propinabat, quibuslibet prout indigebant ſatisfaciendo pro poſſe, vt gauderent ſe ſuſcepiſſe ab eo animarum ſuarum congruas medicinas, & laetantes ad propria repedarent. Epiſcopus vero Dioeceſanus, & Clerici Eccleſiae Cathedralis cum Praesbiteris, & Ciuibus vniuerſis, cognoſcentes viri Dei bonitatem, religioſamq. vitam eius venerantes, ipſum affectu nimio diligebant, & eum frequenter videre cupiebant, vt ipſius valerent colloquijs, & amicitia

citia

citia perpotiri, suasq. illi deuotè animas commendabant, vt pro ipsis fundere preces ad Dominum dignaretur, quod ipse sollicitus implere curabat, non solum pro ipsis, immo pro omnibus caritate nimia, & affectu.

INTEREA dum in praedicto loco per virum Dei Bonfilium talia gerebantur, contigit Abbatem suum extremum diẽ claudere apud monasterium antedictum, ad cuius sepulturam Monachi, & Conuersi omnes vnanimiter cõuenerunt, cui conuentioni etiam homo Dei Bonfilius studuit interesse. Celebratis ergo ex more exequijs, & Abbatis corpore tumulato, in capitulo cõueniunt vniuersi diligenterq. tractant ad inuicem conferentes de electione futuri Abbatis canonicè facienda, qui vnanimiter Sancti Spiritus gratiam ad sui auxilium inuocantes, quasi diuinitus inspirati, superna gratia largiente, Bonfilium concorditer nominant, & eligunt vniuersi. Quod vir Dei Bonfilius obnixè recusans se indignum omnimodis asserebat, tandem cunctorum fratrum precibus, & supplicationibus adstrictus, atque ipsis eum terribiliter adiurantibus tandem aliquãdo acquieuit. Electione autem ipsa ritè, vt dictum est, celebrata, atque vt moris erat, per Dioecesanum Episcopum confirmata, Bonfilius

lius homo Dei veluti graui onere oneratus, formidolosè curam monasterii suscipit, & regimen animarum, ad Dei omnipotentis gloriam.

CONSTITVTVS Ergo in officio Abbatiae, sollicitudine sedula meditatur quale, quantumque onus susceperit, animas videlicet regere, atque multorum moribus deseruire: cuiue susceptae villicationis rationem reddere oporteret, semetipsum in omnibus circumspectans, carnem propriam acribus ieiuniis acrius edomabat, vigiliis, & orationibus solito prolixius insistebat, & in cunctis exercitiis spiritualibus se imitabilem tam subditis, quam aliis se cernentibus exhibebat. Regularis disciplinae arduum institutum tam districtè ab eo in monasterio seruabatur, vt nemini liceret aliter quam Regula praecipit agere, neque perquaelibet illicita deuiare, & quia in diuina lege per supernam gratiam erat doctus, nouerat vnde noua, & vetera proferebat, capacioribus atq. prouectioribus animis aperțiori praedicatione diuinorum eloquiorum praecepta dominica proponebat, durioribus vero, atque tardioribus intellectu eadem diuina praecepta bonorum operum viuis vocibus demonstrabat, mites, & obedientes

discipulos,

discipulos, atque spiritualibus exercitiis intentos benignissimi Patris more confouens, suscipiebat in visceribus caritatis, & eosdem, vt ad meliora studerent proficere, saepius precabatur: ceruicosos vero si quando deprehendebat in Monasterio, superbos, duros, & inobedientes, necnon, & contumaces, diri magistri more, cum caritate tamen seuerius corrigebat, & diuinam retributionem in omnibus cogitans, his, & aliis spiritualibus exercitiis infatigabiliter insistens, felicitatis aeternae mercedem copiosam à bonorum omnium largitore spe certissima praestolatur, sed non est cur hic diutius commoremur, est nobis ad alia eademq. maiora properandum.

CVM Vero annos plurimos in cura, & regimine monasterii peregisset, crescentibus eius venerabilibus meritis, dona supernae gratiae in eo pariter crescebant, diuina clementia largiente; nam dum per ipsum in monasterii regimine positum, tam egregia opera, tamque magnifica gererentur, contigit per idem tempus, de hoc seculo migrare Episcopum Fulginatem, eiusque corpore, vt moris erat prouinciae, tumulato, Cathedralis Ecclesiae in vnum conueniunt Clerici vniuersi

ad electionem noui Praesulis faciendam, preces, supplicationesque ad Deum fundentes, corde humillimo deprecantur, quatenus omnipotens Deus sancti spiritus gratiam infundẽdo, eius personam idoneam reuelare, & tribuere dignaretur, quae super eos digna esset fungi officio praesulatus, tunc vnus eorum, cuius forte non inferior auctoritas habebatur, tamquam diuino spiritu edoctus, idoneum ad hoc officium suscipiendum, & dignum virum Dei Abbatem Bonfilium nominauit. Ceterum cuncti factam nominationem qui aderant, audientes, referentes omnipotenti Deo gratiarum proinde actiones, vnanimes, vno ore in Episcopum petunt ipsum, eumque vniuersi pariter elegerunt: electionem verò ipsam, vt iura canonica exigunt, manu publica roborantes, curant per peritiores, & magis idoneos ex se ipsis ad Dei hominem Bonfilium destinare, ipsum magnis precibus, magnisque supplicationibus deprecantes, quatenus eorum magis, quam sui misertus, eamdem electionem de se factam acceptans, ratam habere atq. suscipere dignaretur: quod mox, vt Dei famulus Bonfilius intellexit, vtpote suae nimiae humilitatis curiosissimus zelator molestissime ferens, tristis atq. animo perturbatus, seque accusans, semet-

ipſum coepit indigniſſimum proclamare, aſſerens quod in monaſterij regimine poſitus ipſum officium bene nullatenus adimpleret; minuſue ſufficienter gereret eius curam, quanto ergo minus idonee põtificalem cathedram tenens, ſufficientem curam gereret Cleri, & totius populi Ciuitatis, & hac ſe ratione aſſerebat, electioni de ſe factae minime conſentire.

TVNC nuncij ad ipſum directi: Venerabilis Pater, inquiunt, veſtrae Paternitati eſt ſollicitè prouidendum, ne ſi pro veſtra nimia humilitate omnipotenti Deo placere cupitis, pro hac ipſa eius ſanctiſſimae voluntati depraehẽdamini repugnare, nam, ſcriptura teſte, pugnare contra Dominum non eſt facile: vnde certo certius cognoſcatis, quòd ex ſua magna diſpenſatione, ſuaq. ſanctiſſima voluntate credimus firmiter eſſe geſtum, quod abſq. vllo noſtro ſtudio & conſciẽtia, vel cuiuslibet alterius pro vobis fecit nos diuina prouidentia in veſtram electionem ſine omnis cõtradictionis obſtaculo vnanimiter concordare, quia ergo ſicut dicit Apoſtolus, vocati eſtis à Deo tanquam Aaron; oportet vos omnis contradictionis pertinaciam deponere, ceruicem veſtram diuinae diſpenſationi ſubijciendo, eius ſanctiſſimae voluntati obedire humiliter, ac deuotè, quibus

rationibus

rationibus euidenter vir Dei Bonfilius superatus, vehementer expauit, ne diuinae contrarius existeret voluntati, & contradictionem quam pro sua humilitate tuenda fecerat, praetermittens, consensum tandem aliquando electioni praebuit de se factae. Vnde praedicti Nuncii plurimum iucundantes, veloci cursu ad eos, qui se miserant redierunt, narrantes pariter quae cum Dei homine Bonfilio tractauerunt, & quomodo consensum electioni, quae de se facta fuerat, præbuisset.

Tunc illi ex hoc nimium laetabundi gratiarum actiones vnanimiter Domino reddiderunt, electionem supradictam, & consensum Dei filii Bonfilii per nuncium idoneum procurant ad Apostolicam sedem destinare, cuius confirmationem, postquam eo peruentum est, largiente Domino facillimè impetrarunt. Post haec igitur paucis euolutis diebus, vir Dei Bōfilius supplicantibus Clero, & populo Ciuitatis pradictae, ad eam voluit personaliter peruenire, quem Clerus, & populus cum honore maximo, & summa reuerentia susceperunt, eumq. post modici temporis interuallum cum societate idonea ad sedem direxerunt Apostolicam consecrandum: de quo summus Pontifex, eiusq. Collaterales, examinatione habita

diligenti

diligenti,cognitaq. bonitate viri,cum eius honeſtam perſonam, vita, moribus, ac ſcientia idoneam reperiſſent, cooperante Sancti Spiritus gratia, eumdem in Epiſcopum conſecrarunt; quem poſtmodum cum Epiſcopali Priuilegio, & ſua gratia remiſerunt ad ſuſcipiendum regimen, gerendamque curam Eccleſiae Fulginatis.

EPISCOPALI igitur Cathedra ſublimatus, iuxta Prophetam, non eſt exaltatum cor eius,neque oculi ſunt elati, ſed humilitate maiori ſemetipſum deprimens, priſtinam morum ſuorum grauitatem, prioremque manſuetudinem per omnia ſequebatur, conſiderans diligenter, quòd eum magis prodeſſe oporteret, quàm praeeſſe, & hoc in eius mente meditatione aſſidua verſabatur:nouerat ſiquidem, ſecundum documentum eximij Doctoris Gregorij, quod tãtum debet actionem populi actio tranſcendere Praeſulis, quantum diſtare ſolet à grege vita Paſtoris, hinc namq.ſtudebat ſollicitè ſe metiri,quanta neceſſitate tenendae rectitudinis cogitur, ſub cuius aeſtimatione populus grex vocatur. Vnde ſummopere laborãbat, vt perſiſteret cogitatione mundus,actione praecipuus, diſcretus in ſilentio, vtilis in verbo, ſingulis compaſſione proximus, prae

cunctis contemplatione suspensius, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum erectus, internorum curam in externorum occupatione non minuens: externorum prouidentiam internorum sollicitudine nõ relinquens: & inter haec exercitia sanctitatis, quibus sollicitus sedulo intendebat, compassione feruenti oppressis quibuslibet condolebat, eorumque afflictionibus piè compatiens, miseratione promptissima succurrebat.

BENIGNIS siquidem oculis intuebatur publicè mendicantes misericordiae operibus summopere procurans eorum indigẽtiam subleuare, esurientes namq. reficiebat, sitientibus potum dabat, nudos, & incedentes absq. vestitu contegebat, exhibitis indumentis, in domum peregrinos, & hospites inducebat: haec omnia, diuina gratia largiente, operibus assiduis adimplebat; sanctae praedicationis exhortationibus scripturas sanctas sibi subditis tàm clericis, quàm laicis apertè iugiter declarabat; pro his ergo tam egregijs moribus, quibus per diuinam gratiam homo Dei Bonfilius Episcopus plenus erat, de admirabili vita eius, tanquam de bono Pastore suarum animarum & diligentissimo Patre Clerus, & populus vni-

uersus

uersus magnificè laetabatur. Decennium ferme in Episcopatu positus pertransiuit, his aliarumq. virtutum charismatibus roboratus, deniq. videndi Terram sanctam, & loca, in quibus humani generis Redemptor, Dei, & Virginis filius Dominus noster Iesus Christus propter nos, & propter nostram salutem, de coelis descendens, nasci, pati, mori, & resurgere voluit, mentem eius feruens desiderium inflammauit.

PER idem vero tempus contigit quod fera gens Sarracenorum, aliaeq. barbarae nationes transgredientes limites christianos, atque barbaricè frementes, Christicolas quoslibet horribiliter iugulantes, atq. eorumdem plurimam stragem dantes, occupant terram sanctam, & in sanctis locis atrocissimè grassabantur: vnde nonnulli Christianorum de partibus cismarinis, remissione peccatorum eis indulta à summo Pontifice, cruce signati magnopere transfretabant in subsidium Terrae sanctae. Tunc etiam vir Dei Bonfilius Episcopus desiderium, quod dudum mente conceperat, cupiens ducere ad effectum, à summo Pontifice licentia impetrata, cruce signatus assumptis secum de familia sua Clericis, & laicis, qui ad hoc opus idonei, & vtiles videbantur, necnon sumptibus

& alijs necessariis praeparatis, ipse naue inuenta, omnipotente Deo propitio cum aliis secum nauigantibus incolumis transfretauit. Duces vero, & Principes populi Christiani transitu vniuersaliter peracto, & congregato Christianorum exercitu copioso, atque inuocato de de coelis auxilio Domini nostri Iesu Christi, vt moris est, suas acies ordinantes proficiscuntur ad debellandos inimicos Crucis Christi dictos Saracenos, aliasq. barbaras nationes, & omnipotente Deo propitio illis facto, cunctis hostibus effugatis, & viriliter expugnatis, Terram sanctam ab eorum feris infestationibus liberam omnimodè reddiderunt.

SERVVS autem Dei Bonfilius Episcopus per diuinam gratiam sui voti compos effectus, omnia loca sancta, in quibus nostrae redemptionis sacramenta peregit Dominus noster Dei filius Iesus Christus studuit personaliter visitare: atque in eis per singula preces supplicationesq. plurimas cum lachrimis offerens, in ipsum filium Dei ardenti contemplatione intendebat, eumq. videbatur quasi visibiliter intueri. Enimuerò dum beatus Bonfilius diuinis contemplationibus, & laudibus aliquandiu intenderet in partibus transmarinis, socij omnes, quos secum de domo sua duxerat, omnipoten-

tis

tis Dei iussu ex hac luce vniuersaliter subtrahuntur; quibus ad Deum praemissis, eorumue corporibus traditis honestioribus sepulturis, atque omnipotenti Deo precibus oblatis, & pro eorum salute Missarum solemniis celebratis, Beatus Bonfilius solus remanet suorum solatio destitutus: sed licet sibi deesse exteriora solatia viderentur, solito more suo per sanctarum orationum instantiam, sanctasq. meditationes in scripturis sanctis frequenter ad diuina solatia recurrebat: sicq. in contemplationibus diuinorum coelitùs consolatus exteriorem desolationem ferè minimè sentiebat. His ita gestis, seruus Dei Bonfilius Episcopus quasi liber ab omni cura redditus seculari, in quandā Eremi partem secedit, ibique speluncam inuentam incipit habitare, vitam eremiticam peracturus, in qua soli Deo vacans in ieiuniis, vigiliis, & orationibus, cunctisque spiritalibus exercitiis vitae suae terminum cum aeterno praemio à Domino praestolatur.

ET dum talibus exercitiis diebus, ac noctibus in spelunca positus insudaret, fermè decem annorum tempora reuoluuntur, & tunc in visione diuinitùs admonetur, vt in Italiam reuertens, curet patriam propriam visitare, quod vbi vir sanctus agnouit, suam postponens face-

tiarum referens actiones, conspectui semetipsum Apostolico praesentauit. Ceterum summus Pontifex, cum eum agnouisset, recordatus cuius vitae, & sanctitatis dudum in Monasterio fuerat, & Ecclesia Fulginate, ipsum benigne, & charitatiuè ad pacis osculum suscipit, eumque alacriter intuens mirabatur, audierat enim eum ante aliquot annos cum socijs, quos secum duxerat, de hoc seculo decessisse, vnde inter cetera, quae ei locutus est, hoc etiam intulit dicens: Noueris Carissime Frater, ante hos annos rumores nos de te, & tuis socijs, suscepisse, quod viam vniuersae carnis fueratis ingressi, postquam in Terram sanctam Deo propitio peruenistis, vnde nos, & fratres nostri prouidere curantes pastorali sollicitudine Ecclesiae Fulginati, cuius auctore Deo cathedram suscepisti, ne sine episcopali regimine diutius remaneret, quemdam idoneum in Episcopum ordinantes, eumque tibi substituentes, duximus transmittendum ad regimen Ecclesiae memoratae, verum quia te omnipotens Deus vsque ad haec tempora conseruauit, & ad nos retransmisit de partibus Terrae sanctae Ecclesiã tuam tibi restituimus, ad quam fueras ordinatus, Episcopo tibi substituto de alia Ecclesia prouisuri.

CVI Vir Dei Bonfilius Episcopus. Beatissime Pater, inquit, pro magno beneficio vestrae eximiae largitatis mea paruitas gratiarũ omnimodas actiones refert humillimè Vestrae Reuerendissimae sanctitati: verumtamen cupio, sanctitatem Vestram meam insufficiẽtiam non latere, nam corporalis infirmitas, & imbecillitas senij longioris, meae paruitati valde obsistunt ad episcopalia onera subeunda, vnde obnixè supplico Apostolicae sanctitati, quatenus meam paruitatem exonerare dignemini à cura episcopalis officii, & sollicitudine Pastorali, cum aeger corpore sim, confectus senio lõgiori, etiamque ad quietem monasterij redire mea infirmitas desideret vehemẽter: ad Ecclesiam vero Fulginatem, quia iniungitis, properabo valefacturus substituto mihi Episcopo, Clero, & Populo Ciuitatis: ex magna enim omnipotentis Dei dispensatione credo firmiter esse gestum, quòd per vestram sanctitatem ille mihi sit substitutus, vt amodo senex, infirmus, & debilis ab episcopalis curae sollicitudine, & laboribus requiescam. Summus ergo Pontifex clementer annuens supplicationibus viri Dei, reditum sibi dignatur ad monasterium indulgere, à cura episcopalis officii vt postulauerat absoluto: & licet eum voluerit ab

episcopalis

Episcopalis curae pondere subleuare, ei tamen piè in honore permanere indulsit, & episcopali dignitate, & hoc modo eum cum sua benedictione, & gratia permisit ad monasterium properare.

BEATVS ergo Bonfilius Episcopus admodum laetabundus de adepta licentia, quam optauit; iter arripiens, Nuncium ante se misit mandans, vt Fulgineum velociter properaret, illi Ciuitati suum reditum nunciando, quòd postquam innotuit ibidem Episcopo existenti, Clericis, & Populo Ciuitatis, videlicet quòd Beatus Bonfilius dudum eorum Episcopus adhuc viueret, & quòd ad eos tunc temporis personaliter accedebat, vniuersi summa laetitia iucundãtes, certatim sibi obuiam processerunt: omnipotenti Deo gratias agentes, eiusq. magnificentiam collaudantes, quia viri Dei visione, & alloquio adhuc perfrui mererentur, eiusque benedictionem ardenter suscipere cupientes, ab eo caritatiue Crucis signaculo benedicti, ad pacis oscula sunt suscepti. Exinde B. Bonfilius ad Ciuitatem perueniens, comitántibus ipsum cunctis, qui sibi obuiam processerunt, oratorium ingreditur Ecclesiae Cathedralis, omnipotenti Deo immolans suorum vitulum labiorum pro communi salute omnium feruẽtius

tius deprecatur, postmodum vero à substituto sibi Episcopo, & Clericis cunctis caritatiuè valde in hospitium est susceptus, atq. humanissime procuratus in omni officio caritatis quamdiu sibi cum eis libuit commorari.

DENIQVE beatus Bonfilius aliquot diebus euolutis, quibus eos sui praesentia consolatur, substitutum sibi alloquens Episcopum memoratum, & cum eo Clericos vniuersos, plurimas eis gratiarum studet reddere actiones pro sibi immensis officiis charitatis, monuitq. eos pariter, quòd diuinum timorem in suis pectoribus, & feruentem eius sine intermissione teneãt ad inuicem charitatem, lucis exẽpla eximiaeq. sanctitatis semper animabus sibi subditis non desinant demonstrare, vt cum eis in superno regno aeternum praemium percipiant, & gaudium sine fine. Post collocutionem autẽ, quam breuiter cum eis habuerat de sanctitate charitatis, & virtutibus obtinendis, cunctis valefaciẽs, assumptis socijs itineris, iter arripit ad monasterium, de quo dudum in Episcopum assumptus fuerat reuersurus, quem Episcopus, & Clericorum nonnulli per aliquod spatium itineris prosequuntur. Exinde benedictionem ab eo humiliter postulantes capitibus inclinatis, suasq. illi animas commendantes, ad propria reuertuntur.

reuertuntur.

BEATVS igitur Bonfilius ad monasterium S. Mariae de Storaco perueniens, ab Abbate ipsius loci, cunctaq. Congregatione, necnon & rusticis incolentibus ipsam villam cum omni deuotione, & reuerentia est susceptus, qui oratorium ingrediens omnipotenti Deo, & beatae semper Virgini Dei genitrici Mariae laudes, & gratias referens copiosas precibus, & deuotis supplicationibus suam eis animam intentissimè commendauit. Oratorium egressus Abbatem, & cunctam Congregationem ad pacis oscula cnm charitate suscipere non ommittit, vt mos est, peregrinis redeuntibus de partibus Terrae sanctae, resseditq. cum eis spiritualia, & consolatoria verba proponens, de his quae ad salutem pertinent animarum: post dulcia itaq. coelestis vitae colloquia Abbatem, & Monachos precibus humillimis deprecatur quatenus sibi assignare Cellam in monasterio dignentur separatam à comunibus officinis in qua quiescere valeat, vtpote longo senio iam defessus, & liberius die, noctuq. vacare his, quae Dei sunt, absq. strepitibus, & rumore, cuius petitionibus Abbas, & Monachi annuentes, separatam cellam, vt postulauerat, assignarunt cum vtensilibus, quae necessaria videbantur, adhuc autem inibi

superstites

ſuperſtites erant aliqui Monachi, & Conuerſi de his, quos Vir Beatus in ſancta conuerſatione ſtuduerat educare, qui ei ſollicite intendebant in omni deuotione, & officio charitatis.

VBI ergo beatus Bonfilius Cellam ingreditur feruenti animo, licet prae nimia ſenectute corpore iam defeſſo, feruens tamen ſpiritu, ſilentio, ieiunijs, vigilijs, orationibus, & lectionibus ſacris diebus, ac noctibus peruigil inſiſtebat. Cellulae habitationem minimè deſerebat, neque deforis vagabatur, niſi cum ad oratorium veniebat ad percipienda Dominica ſacramenta, & Miſſarum ſolemnia celebranda, ſeu cum opportunitas ſe ingereret Congregationi proponere, aliiſq. quibuſlibet verbum Dei ſanè, quia religioſis viris & conſumatae perfectionis antiqui hoſtis certamina, & inſidiae nūquam deſunt, vt eo probatiores, perfectioreſq. diuino conſpectui habeantur, quò ipſum antiquum hoſtem in tentationum certaminibus fideliter ſunt inuenti, & viriliter ſuperaſſe. In ipſo ſiquidem ſaepe dicto monaſterio diſſolutiotioris vitae, laſciuiorumq. morum quidam Monachi habebantur, quorum diſſoluta vita, laſciuia, leuitas, reprobiq. mores ipſorum animabus erant pernicioſa, aliiſq. de monaſterio pericuſoſa propter malum exemplum, atq. intolera-

bilia

bilia videbantur, cumque diu in suis peruersitatibus, & prauis moribus morarentur, nec aliquando resipiscentes desisterent ab inceptis, tandem suae prauitatis clamor in aures serui Dei Bonfilij Episcopi introiuit, quibus Vir Domini Bonfilius Episcopus, vt intellexit, valde condoluit, tum pro suarum periculo animarum, tum etiam ne ipsorum occasione alij de Monasterio neuo infamiae notarentur, sed tempus idoneum praestolatur, videlicet cum Abbas Capitulum congregauit, cui Vir Dei Bonfilius Episcopus studuit interesse, & praemissa, ex more suo, exhortatione de sanctarum auctoritatibus scripturarum charitatiuè, ac modeste sermonem suum conuertit ad praedictos Monachos dissolutos, eosque affectu diligentissimi Patris valde benigne, valdeque humiliter pro suis excessibus increpauit.

VERVM Quia scriptum est, sicut acetum in nitro, sic qui cantat carmina cordi peruerso Sarabaitae saepe dicti fallò Monachorum nomina baiulantes, Vnde suam debuerunt minuere malitia, augumentarunt, Vnde debuerunt proficere, defecerunt. Illicò serpentino more venena suae malitiae in sanctum Virum lingua maledica

intorserunt

ret, clamdestinè seuierunt, vt cum nocturnis horis ad supersedendum homo Dei Bonfilius iuxtà suam consuetudinem adueniret, ruente sedili, ipse pariter rueret foueam in caenosam, quod, & factum est, prout à praedictis nequam Sarabaitis fuerat machinatum, sed vbi seruus Dei Bonfilius Episcopus in caenosam foueam se comperit decidisse, licèt intempestae noctis silentio, & quiescentibus cunctis, qui in monasterio morabantur, contra suam tamen consuetudinem insolita necessitate coactus sibi dilectos monachos, quos ipse instruxerat regularibus disciplinis, rupto silentio altiori voce cõuocat nominatim, qui stupefacti clamore insolito Viri Dei, surgentes velociter, vbi vox eius audiebatur, ad foueam cucurrerunt, eumque inde subleuantes ad cellam reducunt, ignem parant, calefaciunt aquam, eum exuunt vestibus sorditatis, atq. carnem viri Dei, & vestes à caenosis sordibus abluentes, strato lecto propter iminẽs frigus denuò ipsum quiescere coegerunt: De tribulatione autem illata viro Dei prae nimia tristitia, vberiores lachrimas effuderunt, quos Dei seruus blande consolatur, inquiens, quòd in regnum Dei per multas tribulationes nos oporteat introire.

SARABAITAE Autem saepius nominati

cum

cum Dei seruo tam atroces iniurias irrogassent, obstinata mente indurati nimium in sua malitia permanserunt, à suis prauis moribus in nullo paenitus immutati, neq. pro ceteris malis suis, neq. pro contumeliis, quas Dei famulo duxerant irrogandas, paenitudinem aliquatenus habuerunt. Vbi ergo Dei famulus Bonfilius Episcopus intellexit, quòd obstinato animo in sua firmiter statuunt malitia permanere, vtiliùs, rectiusque iudicat induratae malitiae dare locum, obstinatamque inuidiam declinare, quam in cassum ibi residens ipsorum nequitiam amplius irritare: formidans ne impiis in sua impietate atrociùs induratis, ipse à tramite suae rectitudinis aliquatenùs declinaret. Domini Iesu Christi in euangelio mandantis pariter reminiscens, si in Ciuitate vna vos fuerint persecuti, humiliter in alteram fugiatis: post modici vero temporis interuallum vir Dei seruus Bonfilius Episcopus comperto quòd Abbas, & Monachi in capitulo conuenissent, ad eos illico properauit, prostratoq. in terram corpore, corã eis, regularis disciplinae more, obuoluitur pedibus singulorum, atque ab eisdem humillima supplicatione, veniam deprecatur: exurgens autem à terra cum magna mentis mansuetudine, vultuq. eos placido allocutus, mente deuota

pro eis exorabat Dominicam maiestatem, quatenus pro misericordiae operibus quae sibi impendere studuerunt, copiosam eis mercedem à coelesti regno retribuere dignaretur.

SCIO, inquit, carissimi fratres, certissimè peccatis meis facientibus, me vestrum collegam paenitus non mereri, atq. indignissimè in hoc sancto monasterio remorari: vnde vos omnipotenti Deo, & ipsius gratiae recommendo, quatenùs consortes effici mereamini ciuium supernorum. Nam licentiatus à vobis amodo recedo quaesiturus locum, quem diuina mihi clementia dignabitur indulgere, in quo mea infirma senectus requiescat poenitentiam peractura, sed deuotè supplico, vt apud omnipotentem Deum meam infirmitatem vestris orationibus adiuuetis: & his dictis de monasterio egrediens iter arripit ad dilectam sibi vitam solitariam, locum habilem quaesiturus, quam dudum annis plurimis fuerat expertus in partibus transmarinis; pergens itaque diligentiùs inquirebat, vbi suo desiderio locum idoneum inueniret. Cui plurimi indicarunt, quòd locum qualem desideraret, nancisci valeret in montibus Cingulanis, qui sancta Maria de Fara dicebatur, situm in remota conualle excelsis montibus circumdata, quae arboribus magnis,

& vetuſtis, condenſiſq. nemoribus erat plena: vnde locus ipſe amenus ad vitam ſolitariam cernebatur, tamen terribilis pluribus propter ſui nimiam ſolitudinem exiſtebat, ad quē Dei famulus beatus Bonfilius Fpiſcopus perueniēs, confiſus de omnipotentis Domini bonitate, voluntati cuius ſemetipſum per omnia committebat, incepit intrepidus habitare.

QVI ſibi cum cellulam, ſolitariorum more, ex vili materia, hoc eſt, de miricis, & filicibus conſtruxiſſet, quarum ibidem rerum copia habebatur, gratulabundus in ea poſitus, in magna iam quiete ſolitudinis, quamdiu optauerat ſecundum conſuetudinis ſuae modum ieiuniis, vigiliis, pſalmodiis, aliiſque ſpiritalibus exercitiis peruigil intendebat; & licet in remotis receſſibus nemorum, & montium habitaret, ibi non potuit diutius occultari: nam ſanctitatis eius, virtutumq. praeconium non ſolum ad vicinos verum etiam ad remotos velociter peruolauit, quod ipſum latere cupientem cunctis audientibus declarabat, quorum plurimi erga ſanctitatem eius deuotione multa, & affectu nimio ducebantur: vnde ad ipſum ſaepius properantes, cupiebant eius perfrui viſione, & alloquio perpotiri. Qui cum ei cibos corporis deferebant, ipſi ab eius ore coeleſtis vitae referebant

rebant

rebant in suis pectoribus alimenta : cumque ibidem homo Dei beatus Bonfilius Episcopus annorum spatium plurimorum in sanctis operibus, sanctarumque virtutum studio peregisset, volens omnipotens Deus sibi acceptos ipsius remunerare labores, eiusque meritis gloriosis mercedem retribuere copiosam, dignatus est eum de praesentis seculi erumna, & exilio vitae huius ad semper mansura gaudia reuocare, sibi supernorum ciuium in aeterna gloria consortium largiturus, quod ipse in mortali vita positus à pueritiae suae tempore vsque ad longęuum senium feruentissimè concupiuit.

QVI in sanctis operibus, sanctaque confessione decedens vitam non perdidit, sed mutauit, atque mortale seculum mortalibus derelinquens ad societatem migrauit Ciuium immortalium supernorum, sed praedictorum nõnulli sibi fidelium deuotorum eius venerabilem transitum audientes, pietatis affectu, quo erga eum nimiè ducebantur, venientes ad locum, in quo eius corpus exanime quiescebat, tanquam orbati de obitu boni patris, corde compuncti vbertim lachrimas effundebant : exequias vero super eius reuerendum corpus diligentiùs celebrantes, eiusq. parantes tumulum studiosè iuxta murum dicti oratorij san-

ctae Dei Genitricis semper Virginis Mariae circa fundamentum videlicet orientalis anguli, qui plagam respicit Aquilonis, ibidem venerandum corpus sepulturae Dei famuli Bonfilij eremitae, & Episcopi tradiderunt, quo in loco vsque ad haec tempora requiescit, cuius obitus reuerēdi anniuersaria dies quincto kal. Octobris, eiusq veneranda solemnitas celebratur. Post decessum autem ipsius Dei famuli, locus ipse, in quo fuerat traditus sepulturae per multorum annorum curricula relinquitur inhabitantium solatio destitutus, & idcircò cellulae eius aedificio intra breue temporis spatium dissoluto, postmodum ob longam solitudinem iam dicti Oratorii aedificium pariter soluebatur, & quia locus ipse incultus remanserat tempore longiori, crescentibus ibi lucis, vndique siluescebat. Hinc etiam fruteta spinarum valde magna veprium, & ruborum creuerunt super tumulum viri Dei.

PER idem tempus quo locus ipse, in quo viri Dei corpus condebatur, adeò remanserat desosatus, apud Insulam Orzalis quidam rusticus morabatur, cuius filius adolescens, siue iuuenis à cingulo inferius sic membrorum omnium erat officio destitutus, quod de loco recedere non poterat, nisi parentum, aut aliorum

manibus

manibus portaretur, & valde contractus in lectulo quiescens ex longo iam tempore decubabat, ob cuius aegritudinem longiorem, paterno affectu parentes nimium condolentes pro eius recuperanda salute de suis facultatibus quam plura in Medicos expenderunt: ceterum prout in sequentibus declaratur, diuino nutu creditur esse gestum, quod aegro antedicto adhibitae medicinae in nullo paenitus profuerunt, videlicet, vt sanctitatis eximiae merita gloriosa, quibus beatus Bonfilius Episcopus, & Confessor clarus existeret apud Deum, fierent hominibus manifesta, atque ad multorum notitiam peruenirent; cum vero iam praedictus aeger, eiusq. parentes tam de medicinis Medicorum pro eius salute obtinenda, quam de humano auxilio paenitus desperarent ad exorandam diuinam Clementiam, Sanctorumq. eius flagitanda suffragia conuertuntur.

CVM autem praedicti languentis parentes saepius nominati frequenter omnipotentem Deum, & Sanctos eius ad auxilium inuocarent Iuuenis patiētis, nocte quadam in somnis decorum quemdam valde videt sibi ipse Iuuenis assistentem, qui proprio nomine ipsum vocans, ei praecipit in hunc modum: si vis ab his aegritudinibus liberari, quibus ex longo

tempore iam teneris, dicito Patri tuo; quòd asellum, quem habet, procuret sternere festinanter, eique super impositum ad Oratorium S.Mariae de Fara celerius te perducat; cumq. ad locum perueneritis memoratum, pater tuus in terra quiescere te faciat depositum de asello, ipse autem ad Oratorij angulum accedens orientalem, ad eam partem, quae respicit Aquilonem, condensam multitudinem, quae ibi succreuit, ruborum veprium, & spinarum ferramento, quod ad hoc ipsum portabit, viriliter succidens ab eorum occupatione locum ipsum studeat emundare: & postquam à spinis, & vepribus fuerit diligentiùs emundatus, te quiescere faciat super eum, & ambo simul diuinum auxilium fideliter inuocetis, quatenus omnipotens Deus te per merita, & intercessiones beati Bonfilii Episcopi, & Confessoris sui dignetur à tuis aegritudinibus liberare, cuius sanctissimum corpus quiescit ibi interiùs tumulatum.

QVOD cum factum fuerit, indubitata fide salute tibi per merita Dei famuli beati Bonfilij Episcopi restitura, sanus exurges confestim ab omni tua aegritudine liberatus, & tunc omnipotenti Deo, eiusq. famulo B. Bonfilio tu, & Pater tuus gratiarum actiones omnimodas referentes

rentes, ad propria redibitis laetabundi: proinde omnipotentis Dei magnalia praedicantes, famuliq. sui Bonfilij Confessoris merita veneranda, cuius sanctissimis precibus fueris liberatus. Post hanc visionem euigilans dictus aeger, mane facto, salutem propriam nimium concupiscens, Patrem suum frequentibus clamoribus vocitabat: cuius clamores Pater audiens, procurat surgere festinanter; ad locum clamitantis filij velociter properando, cui filius, quae in visione didicerat, cuncta per ordinem referauit: quibus pater auditis, salutem nimium desiderans filii diutiùs aegrotantis, asellum illicò sternit, filium super imponit, & ad supradictum locum festinat velociter peruenire, vbi corpus hominis Dei B. Bonfilij Episcopi habebatur: quò cum peruenissent, rusticus ille per ordinem cuncta exequitur diligenter, quae languenti filio in visione fuerant reuelata. Nam loco ipso mundato, & libero reddito à condensitate veprium, & spinarum, deinde proclamide ibi strata demum super imponit filium patientem.

IPSI vero Pater, & filius vnanimiter Domini misericordiam inuocantes, precabantur ex intimo cordis affectu, quatenus omnipotens Deus per merita, & intercessiones B. Bonfilij

famuli sui sibi succurrere dignaretur. Eis aliquandiu in oratione persistentibus, languidus ille quasi per vnius horae spatium obdormiuit; euigilans autem à somno, magno annisu coepit extendere languida membra sua cum impetu nimio, & feruore, & in ipsa extensione, ossibus, & neruis ad suas compages redeuntibus, sonitus quidam crepitans coepit audiri, velut si quaedam arundines magna violentia frangerentur, tunc Iuuenis ille, salutem sibi in integrum sentiens restitutam, confestim de terra incolumis exsurrexit exultans, & omnipotenti Deo gratiarum eximias referens actiones, qui per merita B. Bonfilij famuli sui dignatus est eum à grauibus, & diuturnis languoribus liberare. Quod miraculum dum factum fuisset, Rusticus, & filius eius percepto beneficio sanitatis gratulabundi, magnis vocibus magnificantes Deum, & B. Bonfilium Episcopum, & Confessorem eius collaudantes, ad propria repedarunt.

DE salute autem reddita Iuueni, parentes eius gaudium maximum habuerunt, & cuncti, qui audierant admirantes, omnipotenti Deo gratias eximias referebant, & famulum eius beatum Bonfilium Episcopum collaudantes, sanctitatem eius coeperunt proinde nimium

venerari: miraculi vero tâm celebris longè, latèq. ſtupendum praeconium ferebatur, quod cunctos audientes in admirationem maximam permouebat, cuius rei gratia multi audientium languidos habentes languoribus variis, & doloribus comprehenſos, eos modis, quibus poterant baiulantes, cum eis ad tumulum ſaepe dicti Dei famuli B. Bonfilii Epiſcopi pro eorum obtinenda ſalute, reuerenter, & fideliter properabant: ibiq. ad Dominum deuotiſſimis precibus, & ſupplicationibus fuſis, incolumes reuertebantur ad propria, interuenientibus Beati Bonfilij Epiſcopi precibus, & meritis glorioſis. Denique ipſa tàm praeclara, tàmq. crebra miracula quibus per ſupernam gratiam conſpicitur frequentiùs corruſcare, quam eximiae ſanctitatis apud omnipotentem Deum exiſtat B. Bonfilius Epiſcopus, & Confeſſor quantorumque apud eumdem praerogatiua gaudeat meritorum, manifeſtius atteſtantur, & inſinuant euidẽter, praeſtante in perpetuum Domino Noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Deo aeterno Patre,& Spiritu ſancto viuit,& regnat per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

APPENDIX quae ſequitur, in eodem antiquiſſimo exemplari habetur ex quo haec B. Bonfilii Vita fuit deſumpta.

Ne

Ne nomen Auctoris historiae Beati Bonfilii Episcopi eam legentibus ignoretur, idcirco ego frater solo nomine Benedictus de Saxoferrato ipsius Auctoris Monachus, & professus vtile inserendum fore putaui. Celebre nomen eius, frater immò Sanctus Siluester fuit Auximanus, parentibus nobilis, sed spiritu nobilior. Qui non solum istius historiae auctor, verum etiam ordinis Montis fani, sub quo duodecim monasteria sub regula Sancti Benedicti cõstruxit ad laudem omnipotentis Dei, aliorumque sanctorum. Per quem etiam adhuc in carne degentem, necnon etiam post vniuersae carnis ingressum Dominus multa miracula facere est dignatus.

FINIS.

S. D. N.

D. PAVLI PP. V.

Communicatio, & extensio Priuilegiorum Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium ad Congregationem Monachorum Siluestrinorum de Montefano Ordinis Sancti Benedicti.



ROMAE, & iterum Camerini apud Franciscum Ioiosum. 1613. *Cum licentia DD. Superiorum.*

PAVLVS PAPA V.

AD perpetuam rei memoriam. Religiosorum virorum altissimo famulantium profectui, quantum cum Domino possumus, paterna charitate prospicere cupientes, priuilegia, & gratias aliorum Ordinum, & Congregationum Regularium Religiosis concessa libenter illis cómunicamus, & ad eos extendimus, cum id conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaq; sicut dilecti filij Iacobus Mercatus Magister Generalis; & Monachi Congregationis Siluestrinorũ Ordinis S. Benedicti nobis nuper exponi fecerũt, Cógregatio præfata nulla, aut pauca priuilegia, gratias, & indulta, quibus ipsius Congregationis Religiosi fruuntur, habeant, & propterea, vt maiori cũ spiritus feruore, & animorũ quiete Deo seruire possint, cupiant Magister Generalis, & Monachi prædicti priuilegia, gratias, & indulta huiusmodi, tàm Mendicantium, quã non Mendicantiũ Ordinibus, & Cõgregationibus, ac eorum Monasterijs, Domibus, Locis, & psonis per quoscumq; Romanos Põtifices Prædecessores nostros quomodolibet cõcessa ad eorum Siluestrinorum Congregationem, illiusq; Monachos, & personas extendi, illaq; eis communicari. Ideò pro parte dicti Iacobi Magistri Generalis, & Monachorum prædictorũ nobis fuit humiliter supplicatũ quatenus in præmissis opportunè prouidere de beni-

gnitate Apostolica dignaremur. Nos igitur Congregationē Siluestrinorū prędictam, eiusq; Monachos, & personas quascunq; ob eorum regularem disciplinā specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volens, ac singulorū Priuilegiorū, & gratiarū, & literarum desuper confectarum, huiusmodi tenores pręsentibus pro sufficienter expressis habētes, & quemlibet eorūdē Religiosorū à quibusuis excōmunicationis, suspēsionis, & interdicti, alijsq; ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existūt, ad effectū præsentium duntaxat cōsequendum harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de consilio Veñ. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super cōsultationibus, & negotijs Episcoporum, & Regularium deputatorum, omnia, & singula priuilegia, prærogatiuas, concesсiones, facultates, exēptiones, immitates, indulta, cæterasq; gratias spirituales, & temporales, ac tàm coniunctim, quàm diuisim, & alias quomodolibet quibusuis Mendicantium, & non Mendicantium Ordinum Cōgregationibus, ac tàm virorum, quàm mulierum Monasterijs, domibus, & regularibus locis in quibuscunq; Mundi partibus consistentibus, illorūq; Superioribus, Fratribus, Monachis, & personis per quoscunq; Romanos Pōtifices Prædecessores nostros huiusmodi, ac nos, & Sedem eādē, & per viā cōmunicationis, vel extensionis, aut aliàs concessa, ac quibus singulæ Congregationes prædictæ, earumq.

earũq; Monasteria, domus, & loca, ac Superiores, Fratres, & Monachi, & personę huiusmodi de iure vsu, consuetudine, vel priuilegio, aut concessione apostolica, vel alia quauis auctoritate, aut aliàs quomodolibet vtũtur, fruũtur, & gaudent, ac vti, frui, & gaudere possũt, & poterunt quomodolibet in futurũ quatenus sint in vsu, & nõ sint reuocata, neq; sub aliquibus reuocationibus cõprehensa, ac sacris Canonibus, & Concilij Tridẽtini decretis, seù particularibus Cõstitutionibus eiusdẽ Cõgregationis Siluestrinorum nõ contrarientur, ad prædictã Siluestrinorũ Cõgregationẽ ità vt illa, eiusq. tàm virorũ, quã mulierũ hospitalia, Cõuentus, seu regulares domus, illarũq. Priores, Superiores, Officiales, Fratres, Ministri, & aliæ personæ nunc, & pro tpe existentes, præmissis omnibus, & singulis æquè, ac pariformiter, & sinè vlla prorsus differẽtia vti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant, ac si in illa dictæ Siluestrinorũ Cõgregationis, illiusq. Monasteriis, hospitalibus, Cõuẽtibus, & domibus regularibus, ac superioribus, officialibus, fratribus, Ministris, & alijs psonis pdictis specialiter, & expressè, ac principaliter, non aũt ad instar cõcessa, ac pręsentibus de verbo ad verbũ inserta fuissent, auctoritate & tenore prædictis perpetuò extendimus. illaq; oĩa, & singula dictæ Siluestrinorũ Cõgregationi, illiusq; Monasteriis, hospitalibus, cõuentibus, ac regularibus domibus, necnon Prioribus, Superioribus, officialibus fratribus, ministris, & psonis pdictis quibuscũq; exceptis tñ Priuilegiis Monachorũ S. Benedi-

ēti,

cti, per quę eidem Ordini indulgentiæ conceduntur, ac etiam excepta facultate eligendi, & deputãdi Conseruatores Religionis, & Monachorum communicamus, Decernentes sic, & nõ aliter per quoscumq. Iudices quauis auctoritate fungentes, etiã causarum Palatii Apost. Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicãdi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, ac irritũ, & inane, quicquid secus super his à quocũq; quauis auctoritate sciẽter, vel ignoranter contigerit attẽtari. Quocirca dilecto filio moderno, & pro tp̃e existenti dictę Siluestrinorum Congregationis Protectori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis cõtenta quæcunq; vbi, & quãdo opus fuerit, solemniter publicans, ac dictæ Siluestrinorum Congregationis Monachis in præmissis efficacis defensionis pręsidio assistens, faciat auctoritate nostra præsentes, & in eis cõtenta huiusmodi firmiter obseruari, ac singulos, quos ipsæ literę concernunt, illis pacificè frui, & gaudere; nõ permittẽs eos, vel eorũ aliquẽ desuper cõtra pręsentium tenorem per quoscumq. ẽt locorum ordinarios quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel impediri; Cõtradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes, per sententias, & censuras Ecclesiasticas, ac etiã pecuniarias pęnas, aliaq. opportuna iuris, ac facti remedia appellatione postposita compescen. Inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii secularis, non obstan. quibusuis

Apostolicis,

Apoſtolicis, ac in prouincialibus, & in ſynodalibus Concilijs editis, generalibus, vel ſpecialibus, cōſtitutionibus, & ordinationibus, necnon Mendicantium, & non Mendicantium ordinum, Congregationũ, Monaſteriorũ, & regulariũ domorũ, & iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & cōſuetudinibus, priuilegijs quoq. indultis, & literis Apoſtolicis illis, eorumq; ſuperioribus, & perſonis ſub quibuſcunq; tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & in ſolitis clauſulis, ac irritan. & alijs decretis in genere vel in ſpecie, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, ac aliàs in cōtrariũ præmiſſorum quomodolibet conceſsis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus illorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum exprimerētur, ac inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habētes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cęteriſq; contrarijs quibuſcunque. Volumus autem vt præſentium tranſumptis, etiam impreſsis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo dictę Silueſtrinorum Congregationis, vel illius Protectoris obſignatis, eadē prorſus fides adhibeatur, quę eiſdem præſentibus adhiberentur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Dat. Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 23. Nouembris M DC VI. Pontificatus noſtri Anno I I.

Scipio Cobellutius.